



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CCCLXXXII. Eine das Marienfest betreffende Bulle Bonifacius IX., vom 9. Nov. 1389.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

dat Cappittel in deffen Bryve an dat vorsehreven Gut tu hebben unde tu besittende like Wiz, oft ik Herman Bardeleve unde Ude vorgeant dat funderlike unde muntlike liden unde vorwyfeden vor den vorsehreven Hanse Bammen Richtere unde vor den Buren tu Schoryn unde ok vortmer des nummermer tu vordernde yengerleye Wiz, unde dy Proft unde dat Cappittel hebben uns hir umme vulkomen Genuge gedan. Des tu Tughe etc. Gegeven tu Spandow M.CCCLXXXIX. an unser Vruwen Daghe Himmelvard.

Nach dem Originale.

CCCLXXXI. Bischof Dieterich unirt die Pfarre zu Tremmen der Fabrik der Domkirche, am 17. Sept. 1389.

In nomine domini Amen. Thidericus, dei et Apostolice sedis gratia episcopus Brandenburgensis, ad perpetuam rei memoriam. Cum fabrica seu structura nostre ecclesie Brandenburgensis est collapsa et ruinosam indigens reparatione et reformatione, ad que ipsius redditus et proventus non sufficiunt. Ad ejus igitur reparationem, reformationem et pro tempore meliorem conservationem, habita cum fratribus nostris preposito Canonicorum ecclesie Brandenburgensis diligenti deliberatione premissorum sollempni et communi tractatu, ecclesiam in Tremmen nostre diocesis ex justo vero et legitimo titulo ante centum et quinquaginta annos et per tanta tempora, cuius contrarium in memoria hominum non existit, ad dictos prepositum, Canonicos et capitulum rite et legitime pertinentem, ut evidenter comperimus, eidem fabrice seu structure, attenta ipsius pregrandi necessitate, de expresso consensu nostri capituli unimus et annectimus, Volentes et concedentes, quod predicta ecclesia cum omnibus juribus et pertinentiis suis de cetero perpetuis temporibus ad dictam fabricam seu structuram pleno jure tam in spiritualibus quam temporalibus debeat pertinere, per dicte fabrice seu structure magistrum seu ejus Vicarium de consensu et consilio ejusdem prepositi et capituli regendam, disponendam et gubernandam. Ad perpetuam huius rei memoriam, ac evidens testimonium presentes literas nostri sigilli fecimus appensione communiti, Et nos Hentzo prepositus et Capitulum Brandenburgense ad premissa, matura deliberatione et tractatu communi et sollempni prehabitis, consensum nostrum adhibuimus et presentibus adhibemus. In cuius signum presentes literas sigillorum nostrorum una cum prefati domini nostri episcopi sigilli appensione roborantes. Actum et datum in Brandenburg loco Capitulari dicte nostre ecclesie Brandenburgensis, anno domini M^{mo}.CCC^{mo}.LXXXIX, die beati Lamberti episcopi et martiris.

Eine Urkunde gleichen Inhaltes erfolgte über die Pfarre zu Schmerze.

CCCLXXXII. Eine das Mariensfest betreffende Bulle Bonifacius IX., vom 9. Nov. 1389.

Bonifacius etc. Superni benignitas conditoris humanam creaturam, ad similitudinem suam creatam misericordie pietate respiciens et collapsam fore primi parentis lapsu considerans illam miro decrevit consilio relevandam, ut scilicet verbum supernum, quod erat in principio, eam a mortis nexibus liberaret; voluit igitur pii patris, qua nos dilexit, caritas, temporis veniente plenitudine, verbum ipsum

eterna sub forma servi carnem nostre mortalitatis assumere, ut tandem mortem nostram moriendo destrueret ac damnationis sententiam simul et maculam, quam per reatum primi hominis generis humani posteritas incurrisse nocebatur, clemens verbi eterni bonitas aboleret. Quapropter de clara stirpe regia Davitica preelegit virginem, in cujus utero mystico spiramine verbum ipsum eternum carnem fusciperet, ut egrederetur juxta verbum propheticum virgo de radice jesse et flos de radice ejus ascenderet, et requiesceret spiritus domini super eam, perfectam reginam inclitam in matrem eligens, que tanto rege digna fuit, sui corporis thalamum preparare, de quo tanquam sponus pro filiis hominum procederet speciosus locum in Nazareth, que flos sive sanctitas dicitur, ad suam conceptionem elegit, in quo per angelice salutationis eloquia ipsius incarnati verbi misteria miraque fuerunt solemniter celebrata. Ibi enim nostre sumptuosae redemptionis exordia ibique primum dies sanctificationis illuxit, qui nobis de salute spem intulit et de eternitate letitiam; in hoc etenim fecunditatis loco virgo regia venustissima a domino consecrata flos sanctitatis vas celestis gratie mundissimum omnium virtutum floribus redimita, cuius pulcritudinem sol et luna mirantur, redemptorem genitum virgo concepit datura lucem gentibus sub mortis caligine constitutis. Sane ipsa regina celorum, in cujus se clausit viscera dei filius factus homo, ex tanti honoris fastigio sibi per Angelum nunciato nequaquam elationis assumpsit spiritum, sed tanquam ancilla humilis quamvis mater effecta domini, humilitatis sue, quam respexit dominus, exequens officium exurgens abiit in montana ad Elisabet, cognatam suam, que vocabatur sterilis, jam semestri pregnantem, cum festinatione, et quemadmodum ab angelo humillime salutationis susceperat oraculum, sic etiam ipsam Elisabet humiliter salutavit. Elisabet vero ut salutationem audivit virginis gloriose, repleta spiritu sancto et incarnati verbi misterium in utero sentiens virginali, voce magna exclamavit et dixit: Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui, et unde hoc michi, ut veniat mater domini mei ad me: ecce enim, ut facta est vox salutationis tue in auribus meis, exultavit pre gaudio infans in utero meo et beata, que credidisti, quoniam perficientur in te, que dicta sunt tibi a domino. Ad quam virgo veneranda in humilitatis spiritu respondens illud mirabile canticum decantavit: Magnificat anima mea dominum et exultavit spiritus meus in deo salutari meo, quia respexit humilitatem ancille sue. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit michi magna, qui potens est et sanctum nomen ejus. O magnum misterium! O admirabile commercium! O ineffabile sacramentum! Ut matres de pignoribus, que gestabant in uteris, in spiritu presentes essent, et etiam prophetarent, ut sacri evangelii pandit historia, celi regina gravida, partu consecranda divino, pro humilitatis ampliori signaculo precurforis sui, quem gestabat, filii genitrici gravide humilitatis impendit obsequium, quo impenso completoque hujusmodi visitationis quasi trium mensium tempore in domum suam est reversa. Hec est illa enim, de qua sacra canunt eulogia, sole amicta, lunam habens sub pedibus, stellis coronari meruit duodenis. Hec est illa, que in suis castis visceribus celi terreque gestavit opificem et sola cunctas hereses interemit et pro Christiano populo ut advocata strenua et exortatrix pervigil ad regem, quem genuit, intercedit. Igitur felicitatis recordationis Urbanus papa VI., predecessor noster, dignum reputans et debitum, ut festum visitationis ipsius beate Marie virginis, quando, ut prefertur, visitavit Elisabet, in dei ecclesia celebraretur, quod testimonio sancti suffultum evangelii humanis nequit rationibus detractari, ac attendens, quod laudes tante virginis humana lingua non sufficit exprimere, nec etiam sancti et iusti eam, in cujus ille, quem celi capere non poterant, se contulit aula virginali dignis laudum preconis effari potuerunt, et considerans, quod, ex quo dominum in sanctis suis laudare jubemur, quanto magis in veneratione beate Marie virginis, matris ipsius, exultantibus animis collaudare et ejus laudum augendo titulos gratias referre, quem genuit, filio debeamus, que etiam exaltata super sidera stellato confidet sui folio genitoris, ne etiam divine visus fuisset resistere voluntati, que

tam sibi quam aliis viris devotis ad hujusmodi sanctam festivitatem celebrandam, ut pie idem predecessor credidit, dignata fuit, mentem inspirare, deliberatione etiam super hoc matura prehabita, de fratrum suorum sancte Romane ecclesie cardinalium, de quorum numero tunc eramus, consilio ad exaltationem fidei catholice digne et rationabiliter, videlicet VI. id. Aprilis, pontificatus sui anno undecimo statuit, ut festum prefatum, videlicet festum visitationis beate Marie virginis, quando, ut prefertur, visitavit Elizabeth, VI. Non. Julii annis singulis in dei ecclesia cum laudum cantico, letitie jubilo cordisque tripudio sub duplici officio per orbem universum solemniter celebraretur; suavit etiam et consuluit idem predecessor, ut ipsius festi vigilia, ut vigilia nativitate et assumptionis predictae virginis festivitatum, etiam in observatione jejunii devotius observaretur, et mandavit, quod simile non tamen duplex officium absque alicujus sancti commemoratione, exceptis primis vespere ante octavam apostolorum Petri et Pauli et officio totius dei octave cum commemoratione tamen ejusdem novi festi per septem sequentes dies in dei ecclesia cum celebritate debita decantaretur. Ac etiam volens idem predecessor Christi fideles ad colendum tante festum virginis et etiam celebrandum donis spiritualibus animare ipsosque mysticis de thesauris militantis ecclesie benedictionum muneribus cupiens prevenire, omnibus vere penitentibus et confessis, qui matutinali officio festi ejusdem in ecclesia, in qua idem celebraretur, interessent centum, qui vero misse, totidem, qui autem primis ipsius vespere, similiter centum, qui autem secundis, totidem, illi vero, qui prime, tertie, sexte, none ac completorii officii, pro qualibet horarum ipsarum quadraginta dies, illis autem, qui per octavas festi predicti matutinalibus vespere horarum officii interessent, centum dies singulis octavarum ipsarum diebus de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confusus, de injunctis sibi penitentibus misericorditer relaxavit. Ne autem pro eo, quod ipsius predecessoris superveniente obitu littere apostolice super premisis confecte minime extiterunt, hujusmodi constitutio dicti predecessoris frustraretur etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum, V. Id. Novembris, pontificatus anno primo.

Nach dem Original.

CCCLXXXIII. Johann Luckenwalde, Pfarrer in Trechwitz, überläßt dem Domcapitel zwei Hufen in der wüsten Mark Derntin, am 15. März 1390.

Johannes Luckenwolde, presbiter, rector ecclesie in villa Trechwitz Brand. diocesis, lucide recognosco, in his scriptis, quod duos mansos, jacentes in campis deserte ville Derntin diete diocesis, cum pacto, censu, precariis, servitiis et omnibus eorum pertinentiis, quos emi ad vitam duntaxat meam strenuo famulo Alberto de Sandow, resignavi sponte et dimisi in urbe Brandenburg coram honorabili viro domino Henzone preposito ecclesie Brandenburgensis ad manus, usus et utilitatem dicti domini Henzone prepositi et suorum successorum et capituli diete ecclesie Brandenburgensis habendum, tenendum et possidendum, renunciatis in his scriptis omni juri, actioni et impetitioni, quod et que mihi in premisis competunt vel competere poterint quomodolibet in futurum. Testes hujus rei sunt honorabiles et discreti viri dominus Conradus Loffow, prepositus sanctimonialium in Spandow et Johannes Scramme et Sifridus Cerificis, clerici predictae diocesis. In evidens testimonium etc. Actum et datum in dicta urbe Brandenburg, anno domini M^o.CCC^o. nonagesimo, feria tertia proxima post dominicam: Letare Jerusalem.

Nach einer verbesserten Copie im Ältern Copiaro.